



Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchier.





DISPUTATIO SOLENNIS
MEDICA,

De
OPHTHALMIA,

In inclyta Argentoratensium Universitate
proposita

A
MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE, ET PRO-
fessore, Comite Palatino Cæsareo, Reipubl.
Archiatro, & Capituli Thomani
Præposito:

RESPONDENTE
SAMUELE GEIDELIN,
Argentoratensi.

Ad Diem 19 Mensis Junij.




ARGENTORATI
Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. LXII.

13.

92



VIRIS

NOBILITATE GENERIS, AMPLITU-
DINE, EXPERIENTIA, REI ADMI-
NISTRANDÆ DEXTERITATE,
REVERENDA DIGNITATE, AVTORITATE,
CONSILIO, ET CLARITATE

Eminentissimis, & maximè conspicuis
liberalis Legati

SCHENCKBECHERIANI

Dominis Præfectis, & Executoribus
dignissimis,

*Dominis suis Gratosiss & Honoratissimis,
Patronis & Fautoribus
magnis,*

Theses hasce Medicas solennes
In
Debitæ observantiæ σύμβολον,
Et
Futurae promotionis αξίαν

Submisit inscribit & offert

SAMVEL GEIDELIN. Resp.



Thesis I.

Nter partes nostri corporis nulla esse videtur, quæ pluribus obnoxia sit affectionum generibus, quàm oculus.

II. Cause dari possunt multe. I. oculi situs. II. tenera, delicata, & mollis illius substantia. III. multitudo partium, ex quibus componitur, quaque illi, tanquam velamenta, sunt assignata. IV. accuratus & exquisitus sensus tactus. V. temperamenti frigiditas & humiditas. VI. consensus, quem cum cerebro, sibi vicinissimo, partibus alijs, & cum primis cum illis, quæ imo in ventre consistunt, habet.

III. Situs oculorum facit, ut multis expositi sint injurijs, causis præsertim externis. Locati enim sunt in sede corporis suprema, & quidem regione capitis anteriore.

IV. Tenera, delicata, mollisque eorum substantia efficit, ut facile à quavis causa, externa atque interna, ledantur.

V. Multitudo partium, tunicarum scil. humorum, spirituum opticorum, nervorum, venarum, arteriarum, muscutorum & tendinum, occasionem præbet, ut pro earum varietate & copia varijs quoque confligentur incommodis.

VI. Sensus exquisitus, qui tactus est, proclives eos pronosque reddit ad dolendum, quando scil. dolorificæ illis occurrunt causa. Illatus autem dolor alia postmodum accersere solet symptomata.

A 2

VII.

95.2.

VII. Frigiditas & humiditas temperamenti membra facit debilia & infirma, atque ad resistendum causis mor-
bificis minus apta & idonea. Calor autem contrarium operatur.

VIII. Consensus, quem cum cerebro, partibusque infernis habent, eos ad superfluitates, nempe ad humores, vapores, flatus, & fuligines excipiendas disponit. Id quod illi maximè experiuntur, quorum cerebrum frigidius & humidius est, quàm deceat, & propterea phlegmaticis, serosis atque aquosis excrementis onustum. Adhuc, quorum ventriculus est infirmus, hepar fervidum, multaque bile refertum, lien impurus, intestina & mesenterij vasa obstructa, uterus mulierum vitiosis conspurcatus & inquinatus humoribus.

IX. Inter oculares autem affectus non frequenter modo nobis occurrit, sed etiam vehementer oculos afficit is, qui ὀφθαλμία à Gracis, à plerisque autem authoribus latinis lippitudo nuncupatur.

X. Illius ergò nomina, definitionem, subjectum, differentias, causas, signa diagnostica & prognostica, tandemque etiam modum curandi breviter exponere placet.

XI. Etenim magna diligensque oculorum est habenda ratio: idque non solum propterea, quoniam stupenda eorum est structura, sed etiam usus & necessitas summa & inexplicabilis.

XII. Conferunt namque oculi, ut Cornelius Celsus lib. 6, c. 6. loquitur, magnam partem ad vitæ simul usum & dulcedinem: suntque ad rerum inventionem & acquisitionem organa accommodatissima: & visus illorum non propria duntaxat sua sensilia, ipsos nimirum colores, qui varij sunt, extremi & intermedij, simplices & mixti, sive compositi, sed etiam communia omnia, utpote magnitudi-



rudinem, numerum, figuram, motum ac quietem percipit.

XIII. Sunt instar vigilum excubias agentium: hocque nomine veluti speculatores in editissima corporis regione collocati, ut quae cominùs & eminùs existunt, prospiciant, ipseque homo moneatur, quò noxia quae sunt, fugiat, quae salutaria & conducibilia, persequatur.

XIV. Sunt indices, faces, fores, & vascula animi, sicut filij loquuntur sapientiae, adeò ut animus quasi in oculis habitare videatur. Cordis enim arcana produnt: ita ut Alexander Aphrodisæus eos animi fenestras non immeritò appellârit: quoniam per oculos, tanquam per fenestras, ad animum usque penetratur. Alij oculos τῆς ψυχῆς κάτοπτρα, anima specula vocârint.

XV. Omnia quippe animi παθήματα, v. g. letitia, amor, verecundia, misericordia, pudor, timor, luctus, mæror & tristitia, ira, furor, odium, audacia, invidia, impudentia, &c. in oculis elucet. Impudicus namque oculus, ut tritum habet proverbium, impudici animi est indicium.

XVI. Imò & corporis quoque constitutio ex oculis emicare solet: juxta illud Hippocratis placitum, quod libro 6. epidem. sect. 4. extat, sicut valent oculi, ita & reliquum corpus.

XVII. Idem Hippocrates etiam in morbis oculos considerat, & quid eorum status portendat, exponit. Nam aphor. 52. sect. 4. inquit, si in febribus oculi præter voluntatem illacryment, eos minari periculum: Aphor. 52. sect. 6. ait, si in somno aliquid non exactè commissis palpebris de albo subappareat, signum esse malum valdèque perniciosum. In prognosticorum libro oculos cavos inter agonizantium signa recenset. Libro 1. prophet. ocu-

A 3: lorum



lorum κατὰ κλεισιν, clausionem, in morbo acuto malam pronun-
ciat. In coacis prænotionibus multa prognostica
ex oculorum colore, motu, prominentia, figura, lacrymis,
obscuratione & caligine, palpebris etiam, quatenus vel
non committuntur, vel distortæ sunt, colligit.

XVIII. Miserrima profectò illorum est conditio,
qui oculis sunt privati, vel illis adhuc persistentibus, cor-
ruptis autem & labefactatis, cæci facti sunt: ut haud im-
meritò vir sanctissimus, Tobias, ex fimo calente hiru-
dinis, in oculos ejus defatigati, & ad parietem jacentis, so-
mnoque capti, illapso, vitam sibi acerbam admodum at-
que amarulentam esse duxerit, quòd in perpetuis sedere
tenebris necesse habuerit, clarissimumque cæli lumen aspi-
cere minimè potuerit. Homines enim, inquit Aristote-
les l. i. metaphysic. c. i. sensum visus pro cæteris amare
& eligere solent: rationemque mox subjungit, quòd sen-
sus iste vel maximè nos cognoscere faciat, multasque re-
rum differentias manifestet.

XIX. Ipsa insuper Natura de tutela & custodia ocu-
lorum cum primis fuit sollicita. Illos enim in osseis caver-
nis securitatis gratia reposuit: osibus undique, velut pro-
pugnaculis, supra, infra, ad dextram & levam regionem
munivit: palpebris geminis donavit: cilijs tarsis earum
infixis, instar alicujus muri, ne quid exigui oculis inci-
dat, instruxit: supercilijs etiam, quæ hirsutæ frontis sunt
extremitates, ornavit, quòd ea, quæ à capite defluunt, ex-
cipiant.

XX. Verùm hæc dicta sint τὰ ἑγῶν. Ad ἑγῶν
igitur.

Nomina,

XXI. NOMINA nostri affectus quod attinet, Cor-
nelius Celsus illum lib. 6. c. 6. lippitudinem vocat: Græ-
ci ὀφθαλμίαν appellant. Recentiores practici utramque
servant



servant nomenclaturam. Solinus ophthalmiam aegritudinem nuncupat.

XXII. Sortita est autem ὀφθαλμία nomen suum à parte laborante, quæ est ὀφθαλμός, oculus: teste Galeno lib. 2. meth. med. cap. 2. Ridiculè, ne dicam stolidè, Vallescus de Taranta lib. 2. Philonij cap. 2. nomen grecum derivat ab ὀπός, quod est liquor, sive succus, & τάλμον, quod est oculus, quasi liquor oculi apostemosus: quoniam vidit, lacrymas hoc in affectu ex oculis emanare.

XXIII. Rectiùs ὀφθαλμίαν derivant Etymologici ab ὀπλομαι, quod significat video. Videre enim proprium officium est τῶν ὀφθαλμῶν, oculorum: qui dicti ab occultando, vel occultando, quoniam cilijs, palpebris, & ossibus occultantur.

XXIV. Non autem Ophthalmia solum à parte affecta nomen suum accepit, sed etiam affectus alij: ut pleuritis, peripneumonia, ischias, podagra, nephritis, arthritis, dysenteria, colica &c. Alij verò, ut idem Galenus ibidem docet, dicti sunt ab aliquo symptomate; ut ileus, tenesmus, paralysis, aepsia, dyspnœa, apnoea, agrypnia &c. Alij à symptomate & parte simul; ut cephalalgia, otalgia, cardialgia, odontalgia, hysteralgia &c. Alij à causa: ut melancholia, cholera, hydrops, leucophlegmatia &c. Alij à similitudine, quam habent ad rem aliquam externam: ut elephantiasis, cancer, polypus, alopecia, ophiassis, priapismus &c. Illorum verò morborum, qui neque à dictis rebus, neque à loco affecto, neque à causa nomina sua mutuati sunt, paucos esse scribit Galenus: cujusmodi sunt phlegmone, erysipelas, œdema, scirrhus, empyema, ulcus, fractura, vulnus, &c. Obtinuerunt autem nomina sua ab eorum differentijs. Hoc modo ulcus dici-

956.

(8.)

tur exedens, cavum, sordidum, purum, aequale, ὑπερσαρκώ-
δες, quod excrescentiam carnis habet.

XXV. Sciendum verò, quòd lippitudo non semper
pro ὀφθαλμία ab Authoribus usurpetur, neque ὀφθαλμία
pro lippitudine.

XXVI. Lippitudo enim propriè vitium est oculo-
rum lacrymantium, das Augen trieffen/oder rinnen/das
fließen vnd rinnen der Augen. Et lippus is dicitur, qui
lacrymantibus est oculis: qui affectus senibus est familia-
lis, sicut & alvi, & narium ὑπότρητες, humiditates: au-
thore Hippocrate aphor. ult. sect. 3. is etiam, quorum
cerebrum est humidius & frigidius.

XXVII. Causa forsan, cur ophthalmia à Celso lip-
pitudine dicatur, est, quoniam ophthalmicorum oculi lacry-
mantes sunt, sicut & lippientium. Verùm in ophthalmia
inflammati sunt oculi, in lippis autem nequaquam.

XXVIII. Hac ratione ophthalmia etiam ab epipho-
ra differt, quæ inflammatio oculorum non est: sed, la-
xiùs si sumatur, impetus omnis humoris, in quamcunque
partem influentis, quem Plinius de lacrymationem, Celsus
pituita cursum vocat. Usus autem obtinuit, ut epiphora
in specie accipiatur pro fluxione, sive destillatione ad ocu-
los facta: eaque vel calida, vel frigida. Ex quibus illa
lacryma calida, acris, mordax, & dolorifica dicitur, adeò
ut aegri oculos, vel nunquam, vel rarò, & difficulter ape-
riant: quoniam externi luminis splendorem ferre neque-
unt. Estque non rarò in causa, ut, si diutiùs duret, &
materia, quæ affluit, acris sit & mordax, aegri inde visus
orbentur.

Definitio.

XXIX. DEFINITIO ophthalmia apud omnes, tum
Græcos, tum Latinos scriptores, eadem traditur. A Ga-
leno autem in specie l. 4. de compos. med. κ, τόπ. c. 2.
l. de



l. de differ. morb. c. 13. & l. 2. ad Glaucon. c. 1. definitur illius oculorum membrana inflammatio, quae immediatè tunica cornea adheret. Hinc libr. de Oculis part. 4. c. 7. dicit, Ophthalmiam unum ex illis esse affectibus, qui sensibus apparent, & faciliè cognoscuntur.

XXX. Si inflammatio est, uti reverà est, morbus erit. Et quidem non simplex, sed compositus: nimirum in dyscrasia calida & humida, magnitudine p. n. aucta, & continui solutione: quoniam propter humorem, qui ad oculos influxit, partes quodammodò à se invicem sunt disjunctae, non amplius ita unitae, ut erant prius. Est igitur, ut Galenus comm. 3. in lib. Hippocr. de fractur. §. 34. loquitur, continui solutio, ratione magis contemplabilis, quàm sensu perceptibilis: qualis etiam esse solet in ijs, quae extenduntur, contunduntur, & comprimuntur. Hac enim, inquit, proximè ad ea accedunt, quae divelluntur: quae res continui est solutio.

XXXI. *SUBJECTVM* Ophthalmia patet partim ^{Subjectum} ex nomine ipso, partim ex data jam definitione.

XXXII. Generale subjectum est oculus: speciale membrana illa, quae varijs est insignita nominibus. Dicitur enim adnata, quoniam cornea tunica adheret. Conjunctiva, quia oculum cum ossibus orbitae conjungit. Album oculi, à colore albo, quo rincta est. Oculi ligamentum, quia oculum in orbita continet, ne excidat & elabatur. Tenuis est valdè, à pericranio orta: desinit in iridis circulum: venulis & arteriolis quamplurimis est praedita: quae tamen in valentibus non conspiciuntur. Rubent autem aliquando insigniter, & tum maxime apparent, cum copioso impletae sunt sanguine, & turgent: id quod in Ophthalmia accidere solet. Graeci illam *πεφουκότης*, & *επιπεφουκότης* appellant.

B

XXXIII.

XXXIII. Galenus l. 4. de compos. med. κ. τόπ. c. 2. videtur statuere, subjectum ophthalmiae esse pericranium. Hoc enim exinde forsitan colligi posset, quoniam scribit, ophthalmiam affectum oculorum esse frequentissimum, & quidem illorum inflammationem illius membranae, quae calvariā ambit. Verū loquitur, σὺν ἐξουσιᾷ, partemque accipit pro toto. Non enim totum pericranium in ophthalmia est inflammatum, sed duntaxat quaedam illius particula, quae ejus quasi propago est & soboles, extremaeque oculorum tunica, adnata & conjunctiva vocata.

XXXIV. Quæritur autem, an sola conjunctiva tunica in ophthalmia sit inflammatam? Respondetur, primario inflammatam esse, secundo autem partes vicinas in consensum trahi: adeo ut & palpebrae, & gena, imò & caput coafficiantur, tum scilicet cum affluxus sanguinis est copiosus. Fieri namque potest, ut affluxus sanguinis aliorumque humorum non solum ad conjunctivam membranam, sed etiam ad palpebras, genas, vicinasque partes feratur, & una cum conjunctiva inflammentur.

XXXV. Quæri rursus posset, quomodo ophthalmia, psorophthalmia, & xerophthalmia inter se conveniant, & differant? Respondetur, convenire in subjecto generali, quia omnes oculum infestant. Differre autem in forma & subjecto speciali. Etenim, ophthalmia inflammatio est, & quidem humida, membranae oculorum adnatae, in qua tumor, tensio, rubor, calor, dolor, molesta arteriarum pulsatio, & lacrymatio concurrunt: & tanto quidem magis, quanto sanguis, qui influxit, est calidior & copiosior. In psorophthalmia, quae ἀπὸ τῆς ψώρας, à scabie nomen habet, & lippitudo scabiosa nominari potest, est pruriginosus palpebrae sensus, inquit Actuarius lib. 2. de method. med. cap. 7. quem salsa pituita, mordens ac
prurigi-

pruritus inferens, excitat. In xerophthalmia, quae ἀπὸ τῆς ξηρότητος, ab ariditate nuncupatur, & arida, sicca ve lippitudo nominari meretur, oculus, ait idem Actuarius ibidem, citra humoris affluxum agrè, & cum dolore movetur. Celsus lib. 6. cap. 6. scribit, in arida hae lippitudine neque tumere, neque fluere oculos, sed tantum rubere, & cum dolore quodam gravescere.

XXXVI. Quæritur tertio, quot lippitudinis sine species? Respondent Practici ex libro Galeni de oculis parte 4. cap. 7. Actuarius lib. 2. de meth. med. cap. 7. & Pauli lib. 3. cap. 22. tres esse. Prima est τάρραξις, oculi turbatio, quae est oculi humiditas & caliditas cum rubore: cujus causa ut plurimum est externa, nimirum calor Solis, vel ignis, fumus, pulvis, ventus &c. aliquando interna, humor aliquis ad conjunctivam affluens. Quare etiam citò finitur, causa depulsa. Eam scribit Paulus permanere usque ad diem tertium, quartum, aut quintum: curari verò facile. Galenus comm. 5. in l. 6. epidem ait, τῆν τάρραξιν phlegmones quoddam esse initium in oculis. Levis enim est adnata tunica inflammatio, tumoris parvi, doloris & ruboris particeps: vocaturque à Practicis scriptoribus non vera ophthalmia.

XXXVII. Secunda est χήμωσις, dicta ἀπὸ τῆς χήμης, quae vox hiatus, sive χάσμα significat. Eam Galenus lib. de oculis part. 4. cap. 7. Paulus lib. 3. cap. 22. Oribasius l. 8. Synops. c. 40. & Actuarius l. 2. meth. med. c. 7. describunt. In illa sequentia concurrere, solent symptomata. I. rubor & tumor oculorum propter inflammationem. II. palpebrarum ἐκτροπή, perversio, inversio, sive contorsio. III. motus impedimentum. Palpebrae enim oculos tegere & claudere non possunt: quia tumor oculi impedit, quò minus palpebrae adduci, & committi queant. Ideoque

96.

laborantes & afflicti oculi perpetuò manent aperti. IV. calor & dolor vehemens. V. intumescencia albi in oculo supra nigrum, ita ut nigro subsidente, & albo eminente, hiatus cujusdam similitudo oriatur. Album namque nigro supereminet, ipsumque longè excedit. Cum igitur nigrum sit cavum, & subsidat, album verò undique tumeat & attollatur, veteres Medici non ineptè vitium istud τῆς χημῆς nomine designârunt.

XXXVIII. Tertia est illa lippitudo, quæ ὀφθαλμία in specie appellatur, & de qua impræsentiarum nobis est sermo. Adjunctum sibi habet tumorem, ruborem, calorem, tensionem, dolorem, venarum repletionem, & lacrymarum effluxum, ut supra dictum. Atque hac vera & exquisita est ophthalmia: reliquæ spuria sunt.

XXXIX. Τάραξις omnium est levissima, brevi temporis spatio durat, & curationem facile admittit. Χημῶσις est fortior, inquit Galenus. Inter has media est ὀφθαλμία: gravior ταραξις, mitior χημῶσις.

Differentiæ

XL. Pergamus ad ophthalmiæ differentias: quæ varia sunt & multiplices, à varijs rebus desumptæ.

XLI. Primum enim alia vera est & exquisita, de qua potissimum loquimur: alia notha, sive spuria. Illa nascitur ex puro & mero sanguine: hac ex sanguine cum alijs humoribus misto. Cum enim sit inflammatio, hac autem tanquam genus ex sanguine fiat, necesse est, ut idem etiam de inflammatione membranae oculorum conjunctivæ dicatur. Sanguis autem semper præponderat.

XLII. Deinde, alia magna est, & quidem insignis magnitudinis, parva alia. Illa talis ob copiam materiei impactæ: hac ob illius paucitatem.

XLIII. Tertio, alia durat diu, scil. quæ magna: alia brevi cessat, nimirum quæ levis & exigua.

XLIV.



XLIV. Quarto, alia periodica est, quæ per intervalla redit, oculosque affligit: alia semel rectè curata, & causis maturè demptis, emanere solet. Galenus lib. 2. de differ. febr. cap. II. inquit, periodicam ophthalmiam illis præcipuè accidere, quorum caput est calidum & humidum, & facile impletur: item, quorum oculi debiles sunt, & fluxionibus obnoxij.

XLV. Quinto, alia sequitur affectum alium, alia statim incipit per proprias suas causas. Hinc alia primaria, alia secundaria dici potest.

XLVI. Sexto, alia epidemia est & populariter grassans, quæ uno in loco plures invadit, alia sporadica, quæ hinc inde quasi sparsa est, & disseminata.

XLVII. Septimo, alia est contagiosa, alia contagionis expers. Contagiosam quandam esse, docet Actuarius lib. 2. meth. med. cap. 7. Illis autem communicari asserit, qui levem ob causam afficiuntur: causamque illius esse scribit tenuem acremque fluxionem. Et Galenus l. I. de diff. febr. cap. 2. dicit, quandam ophthalmiam non secus, ac scabiem, contagiosam esse. Nam $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ contagionis sparsa ob naturæ cognitionem spiritus & humores oculorum sanorum simili labe inficiunt.

XLVIII. Octavo, alia merè est sanguinea, alia biliosa, phlegmatica, aut flatulenta, quæ vel bilem, vel phlegma, vel flatus sanguini admixtos habet.

XLIX. Nonò, diversimodè etiam se ophthalmia habet pro diversitate suorum temporum. Nam sicut in alijs morbis circa initia eorum & finem omnia sunt $\acute{\alpha}\delta\epsilon\upsilon\epsilon\sigma\epsilon\pi\alpha$, remissiora, in vigore autem $\iota\sigma\chi\upsilon\gamma\acute{o}\tau\epsilon\pi\alpha$, vehementiora, authore Hippocrate aphor. 30. sect. 2. ita & in ophthalmia res se habet: ut in principio & fine, sive in declinatione, symptomata, quæ illam sequi solent, sint leviora, in vigore autem graviora.

Causæ. L. Sequuntur ophthalmiæ causæ: quæ vel sunt interna, vel externa.

LII. Interna rursus duplices sunt: proxima scilicet & immediata, quæ in hac inflammatione continentur dicuntur, & mediata, quæ πονυγίμειον nuncupantur.

LIII. Immediata & proxima sunt sanguis, humoresque calidi, acres & mordaces, sanguini permisti, & per venas membrana conjunctiva dispersi, quales sunt biliosi, pituitosi & serosi salsi.

LIII. Mediata sunt plethora & cacochymia: quæ ut plurimum aliunde ad caput, & inde etiam ad oculos transmittuntur.

LIV. Transmittuntur autem interdum spontaneo Natura motu, quando vel superfluum humorum quantitate est gravata, vel vitiosa qualitate stimulata & irritata. Tunc enim facultas expultrix insurgit, & ab illis se exonerare satagit: quodque molestum & infestum sibi esse sentit, à se propellit, & ad loca alia transfert.

LV. Aliquando verò causa quedam externa fluxionem ad oculos movet: ut sunt constitutiones aëris aquilonares, pluviales, & austrina, vini potentioris ingurgitatio, aestus solaris, calor æstuariorum, fumi acriores, pulvis, liquor acris oculis infusus, & præcipue acetum, vinumque acidum, raphanus item marinus & esculentus, sinapi, porrum, cepa, allium, sal &c. sæpe & immodicè cum cibis assumpta. Adhuc contactus stirpium mordacium, nimirum esularum, tithymalorum, capsicorum &c. nec non aromatum, ut zinziberis, caryophyllorum, cinnamomi, galangæ, piperis &c. ictus, casus, denique ea omnia, quæ oculos debilitare, vel ipsdem dolorem & calorem inferre queunt. Calefacti enim attrahunt: dolentes aliena facile admittunt.

LVI.

LVI. *Ceterum, ex humoribus ophthalmiam inducentibus perpetuò sanguis est: ob causam supra dictam, quia ophthalmia inflammatio est. At inflammatio sanguinea fluxionis soboles est. Nulla igitur ophthalmia absq; sanguine fieri potest. Verum is ut plurimum admistos sibi habet humores alios, biliosos maximè, serosos & pituitosos falsedinem obtinentes, sicut paulò antè dictum.*

LVII. *Hanc eorum diversitatem colligere licet ex diversitate coloris, doloris, caloris, tumoris, & exeuntium lacrymarum. Experientia insuper testatur, eos præ cæteris ophthalmia obnoxios esse, qui salsis, acris & mordacibus humoribus abundant; eosq; vel ob temperamentis caliditatem, vel victum calidiorum contraxerunt.*

LVIII. *Signa diagnostica ex dictis manifesta sunt. Etenim, si oculi leviter solum caleant, doleant, tumeant, & quidem ob causam aliquam externam, breviq; temporis spatio affectus duret, facileque & citò curetur, illa spuria ophthalmia species adesse perhibetur, quæ τάρταρος, oculorum turbatio vocatur.*

Signa diagnostica.

LIX. *Si hæc symptomata sint longè graviora, & tanta sit inflammatio, ut unà etiam palpebræ afficiantur, & quasi invertantur, nec claudi possint, albumque supra nigrum oculi intumescat, aut etiam illi obducatur, ita ut nigro subsidente, alboque eminente, velut hiatus & χάσμα quoddam in oculo appareat, χήματος præsens esse dicitur: quæ & ipsa spuria est ophthalmia.*

LX. *Quodsi verò adnata oculi tunica sit phlegmone obsessa, adsintque calor, rubor, dolor, tensio, tumor, venularum repletio, ita ut in adnata observari possint evidenter, & interna potissimum causæ illi dederint occasionem, vera & exquisita affligere ophthalmia iudicatur.*

LXI.



964.

(16.)

LXI. Cognoscuntur autem cause ophthalmie ex aegri temperamento, aetate, victu, vita instituto, colore, symptomatum recensitorum levitate & vehementia, regione, & anni tempore, quae causa pro sui diversitate diversos etiam procreare & demonstrare solent humores, dictarum ophthalmiarum causas.

Signa prognostica.

LXII. Signa prognostica quod spectat, sciendum, quod vera & exquisita ophthalmia vitium oculorum sit magni ponderis atque momenti: illa maxime, quae insignis est & ampla: idque ob dolorem, quo aegrum excruciat, & debilitat: ob vigilias, quas invehit: ob anorexiam, quam parit: ob febrim, quam accendit: ob cerebrum & cor, quas partes in consensum trahit.

LXIII. Peior autem & periculosior illa est, quae contagiosa, epidemia, & quae ex acris mordacibusque humoribus nata. Dolorosior namque haec est, & corrosionem tunicae corneae oculi, ipsamque cecitatem minatur.

LXIV. Si hyems sicca & aquilonia, ver pluviosum & australe fuerit, aestate necesse est tum alios fieri affectus, tum etiam ophthalmias: Hippocr. aphor. 11. sect. 3. Ratio est probabilis: quoniam frigus aquilonare hyemis oculos mordet atque debilitat: austrina veris constitutio, quae calida est & humida: materiam ad defluxiones suppeditat. Accedens autem aestatis fervor collectas verno tempore humiditates fundit & liquat, ut tum ad partes alias, tum etiam ad oculos ferantur, qui a frigore hyemis debilitati aliena facile suscipiunt, & ophthalmiam contrahunt.

LXV. Ophthalmiam Hippocrates aph. 21. sect. 3. recenset inter morbos aestivos: quia bilis tum temporis in corpore abundat. Ophthalmia ergo in aestate oriri potest biliosa.

LXVI.



LXVI. *Ophthalmia laborantem alvi profluvio corripi bonum.* Hippocr. aphor. 17. sect. 6. Galenus in comment. dicit, diarrhoeam in ophthalmia non ut signum, sed ut causam, esse bonam. Rationem subjungit istam: quoniam noxiorum humorum abundantia simul evacuatur, & ad inferiora retrahitur. Addit insuper, esse hoc apud Hippocratem exemplum unum illorum, quae sponte & utiliter excernuntur: quod Medicum imitari decet. Id quod etiam procul dubio omnes facere ait, qui in ophthalmia clysteribus, & purgationibus alvum subducunt.

LXVII. *Turbatio oculi, quae τάρραξις vocatur, citò & facile curatur. Difficiliùs vera ὀφθαλμία, & tardiùs. Difficilimè omnium χήρωσις.*

LXVIII. *Ophthalmia cum multis calidis, tenuibus, & acris lacrymis conjuncta, mala est. Minatur quippe corrosionem, & cecitatem. Phlegmatica suffusionem, quae aliàs cataracta, graecè ὑπόχρωσις & ὑπόχρωμα appellatur, & est humoris lenti inter corneam & humorem crystallinum concretio, creare potest.*

LXIX. *Malè tractata ophthalmia mala multa post se relinquit; cecitatem, maculas, cataractas, ungues, telas araneorum telis similes.*

LXX. *Si in ophthalmia dolor valdè intensus agrum excruciet, malum est: eoque peius, si diutiùs duret, & remedia nihil efficiant.*

LXXI. *Supereft curatio verae & exquisitae ophthalmiae. Quae si rationalis, methodica, & dogmatica appellari debeat, solidis fundamentis, ipsis scil. indicationibus, nititur.* Curatio.

LXXII. *Haec autem à tribus petuntur indicantibus: nimirum à morbo, qui est indicans curatorium: à causa*

C

morbi.

96.

morbifica, quæ est indicans præservatorium: & à virtute, quæ indicans vitale appellari solet.

LXXIII. *Morbis ipsa est adnata tunica inflammatio. Causa morbifica, quæ est partim continens proxima & immediata, humor scil. impactus, sanguis, & humores illi admisti: partim mediata & remota, nempe plethora & cacochymia, sive humor aliunde ad oculos affluens. Virtus aut est totius corporis, & cumprimis cordis, aut oculorum duntaxat, quorum tutela & custodia summo perè nobis debet esse commendata: & quidem illas ob causas, quæ supra fuerunt indicata: & prætereà etiam ob istam, quia membra sunt delicata, tenella, mollia, & accuratissimi exquisitissimique sensus tactus: ut non immeritò dici consueverit, famam, fidem, & oculum jocum & lusum pati neutiquam posse.*

LXXIV. *Quæritur autem, cum morbus, & causa morbifica, quemadmodum & virtus universalis totius corporis, & particularis, ipsorum duntaxat oculorum, suas habeant indicationes, an non & symptomata ophthalmiæ aliquid indicent, præsertim dolores, usque convenientibus occurrendum sit præsidys? Respondetur ex Galeni libro 12. de meth. med. cap. 1. quòd soli morbo debeat curatio: soli causæ morbificæ præservatio: soli virtuti conservatio: symptomati autem, quatenus n. erum & nudum est symptoma, nihil. Ratio est: quoniam symptomata morborum sunt umbra. Ideòque sublati morbis, & extirpatis illorum causis, symptomata ultrò evanescent: sicut remoto corpore umbra disparere solet.*

LXXV. *Verùm, quando symptomata induunt & adsciscunt naturam causarum, & vel præsentis morbos foventium, vel novos morbos creantium, vel vires nimio-
perè*

perè debilitantium, omninò tanquam causa aliquid indicant, & opem atque auxilium exposcunt.

LXXVI. Ipse igitur morbus, inflammatio scil. membrana conjunctiva, vicinarumque partium, qua non raro una cum illa accenduntur, quia tumor est præter naturam, causamque habet συνεκτικὴν, qua posita, ponitur affectus, & qua sublata, tollitur, peculiari cura opus habere non videtur. Ideòque omnis Medici actio in ophthalmia curatione tantùm occupata esse debet circa humoris morbifici remotionem, & circa doloris urgentis & excruciantis sedationem, aut saltem mitigationem.

LXXVII. Humor autem morbificus vel adhuc est in affluxu, vel jam parti est impactus, & ut loquuntur, imbibitus.

LXXVIII. Qui adhuc affluit aliunde, nimirum vel à toto corpore, vel duntaxat ab aliqua illius parte, utpote à capite, hepate &c. præsidia postulat ἀποκρηστικά, repercutientia, ἐπαναληπτικά, ἢ διαληπτικά, interceptientia, ἀντισπαστικά, revellentia, & παραχυστικά, derivantia.

LXXIX. Qui verò jam influxit & quiescit, ipsique parti laboranti est impactus, pro diversitate temporum inflammationis etiam diversa requirit remedia: majori tamen ex parte διαφορητικά, digerentia, resolventia, sive discutientia, & dissipantia.

LXXX. Repellentia tamen non statim in principio adhibenda sunt, sed vacuantia prius universalia, perlenia purgantia, alvumque laxantia, & sanguinis detractionem usurpanda. Non etiam admodum frigida & adstringentia imponenda: quoniam talia partes contrahunt, impactos humores incrassant, impingunt, ad resolutionem & digestionem ineptos reddunt, doloremque augent,



Et si humores affluentes extiterint acres, corneam tuni-
cam erodunt. Tepidiusculè etiam admovenda, ne oculo,
membro delicato & frigido, vis inferatur. Inferretur au-
tem, si excessivè frigida applicarentur topica.

LXXXI. Intercipientia non ipsis oculis inflam-
matis, sed fronti & temporibus imponuntur, & impedi-
unt, quò minùs humor morbificus ad oculos prorsùs per-
veniat. Viam enim frigida, sicca, terrena, adstringente-
que sua facultate contrahunt, sicque humorem affluen-
tem impediunt, quò minùs ulterius progredi possit.

LXXXII. Revellentia instituuntur ad loca distan-
tiora, contraria, & nar' i'w afflicto oculo respondentia.
Etsi autem humores affluentes revellere, & ab oculis
avertere possint frictiones, fortes ligatura, & balnea in-
feriorum partium, primas tamen inter τὰ ἀντισπασμὰ
remedia purgatio, & vena sectio tenent: observatumque
est, quod sæpè sola purgatione, & sanguinis detractioe
ophthalmia fuerit sanata.

LXXXIII. Sint autem purgantia moderata, ne for-
tioribus agitati humores impetuosius ad oculos accurrant.
Vtilia verò sunt, si noxi & vitiosi humores, biliosi, scil.
serosi, aut pituitosi salsi sanguini, phlegmonis auctori,
fuerint admisti. Repetantur etiam toties, quoties necessi-
tas illa postulaverit.

LXXXIV. Vena sectionem quod attinet, inciden-
da est cephalica in brachio dextro, vel sinistro, vel etiam
utroque, si ophthalmia in dextro, sinistro, aut utroque ex-
titerit oculo.

LXXXV. Iteretur autem sanguinis missio, vel ea-
dem, vel postea die. Sic enim melior fiet revulsio, & vi-
res minùs debilitabuntur. Sanguis etiam ea in quanti-
tate evacuetur, quam morbi magnitudo, temperamen-
tum

tum corporis & aetatis, nec non & vires tolerare queunt.

LXXXVI. Ejusmodi namque vacationem per sanguinis missionem adeo utilem ac necessariam esse Galenus scribit, ut libro de cur. rat. per S. M. cap. 16. asseveret, quod oculorum inflammatorum dolorem interdum intra unius horae spatium compescuerit. Idque etiam cap. 17. ejusdem libri exemplo Oeconomi civis cujusdam Romani, valde opulenti, confirmat. Is enim cum oculorum inflammatione cum insigni dolore laborasset, adeo ut cecitatis periculum ipsi imminuerit, neglecta autem ab Erasistrateo Medico fuisset sanguinis detractio, ab inflammatione, fluxione, & dolore liber evasit, posteaquam Galenus binis vicibus sanguinem illi eduxisset: prima quidem libras illius tres: secunda vero libram unam. Peracta autem hac utraque vacatione, etiam collyria oculis applicuisset, & balneum aquae dulcis ordinasset.

LXXXVII. Derivantia adhibenda sunt ad loca vicina; & quidem per cucurbitulas cum scarificatione cervici, scapulis, & dorso affixas. Item per vesicatoria, & setacea ad nucham apposita, fonticulos in brachijs factos: praesertim si ophthalmia diutius duraverit, aut per intervalla redierit.

LXXXVIII. Morbificus humor, qui jam parti laboranti est impactus, resolventia exigit. In augmento vero illis admiscenda sunt repellentia, ita tamen, ut resolventia praeponderent. In statu, sive vigore, ex usu sunt resolventia sola, sicut & in declinatione inflammationis.

LXXXIX. Ad derivantia quidam etiam ἐπιπρωα, & πταρμυκὰ referunt: sed male: quoniam novos humores ad oculos, jam antea satis afflictos, precipitant: do-



loremque conduplicant, qui tamen jam per se haud levi-
ter dolent.

XC. Convenientiora sunt ἀποφλεγματίζοντα &
γαργαρίσματα, siquidem fluxio ortum traxerit à capite:
eò quòd leniter humores à capite attrahant atque expel-
lant.

XCI. Alterum curationis caput est, ut supra di-
ctum, doloris mitigatio, quem humores biliosi, serosi, ac
pituitosi, nec non & flatus, qui nonnunquam illis sunt
permisti, excitare consueverunt. Suntque interdum adeò
atroces atque acerbi, ut vigilias inducant, ciborum appe-
titum adimant, viresque vehementer debilitent: imò ef-
ficient, ut affluxus humorum fiat major, indeque in-
flammatiò oculi crescat. Ideòque omnibus modis & ra-
tionibus in id incumbendum, ut quo ad ejus fieri potest,
maturè sedetur.

XCII. Sedari autem solet omnis dolor tribus reme-
diorum generibus, quemadmodum Galenus l. 5. simpl.
cap. 19. docet, ἀνώδυνας, sive παρηγορικοῖς, quæ doloris cau-
sam, non quidem extirpant, sed demulcent solum & mi-
tigant: νάρκωτικοῖς, quæ sensum stupefaciendo, quò minùs
pars affecta sentiat, dolorem levant: & ἴς, quæ impro-
priè anodyna vocantur, doloremque fugant, causa ejus
eradicata.

XCIII. Narcotica satis tuta non sunt: quia spiri-
tus visivos incrassant, & visum hebetant. Ideòque nisi
necessitas vehementer urgeat, non statim admovenda, sed
tutiora quæ sunt, uti multa sunt, usurpanda: ea nimirum,
quæ propriè ἀνώδυνα ἢ παρηγορικά nuncupantur.

XCIV. Quæ causam doloris & inflammationis tol-
lunt, jam fuerunt explicata. Suspendenda autem ali-
quan-

quandiu sunt, si dolor insigniter, & ferè intolerabiliter urgeret.

XCV. In usu ocularium remediorum, quæ topica sunt, observandum primùm, quòd ea eligenda sint præ cæteris, quæ oculis sunt appropriata, & ob id ὀφθαλμικά appellantur: qualia sunt Rosa, Euphrasia, Verbena, Fœniculum, Nepeta, Valeriana, Chelidonium majus, Ruta, Betonica, Helenium, Majorana, Hieracium &c.

XCVI. Deinde, admovenda talia, quæ acrimoniæ & mordacitatis sunt expertia, aut si quid tale in se habeant, aliorum admistione mitiora reddita. Ratio est, quoniam acria quæ sunt, ὀφθαλμίων irritant, fluxum ad oculos accersunt, doloremque augent.

XCVII. Tertio, quæ omni carent asperitate & duritie, eandem ob causam. Ideoque sicca si sint, in subtilissimum pollinem redigi debent, & per cribrum transmitti.

XCVIII. Quarto, quæ à sordibus sunt repurgata: item, non crassa lentaque nimis. Illa enim oculos inquinant, visumque deteriorem reddunt: hæc tenaciùs illis adherent, ut non absque dolore, & phlegmonis exacerbatione avelli queant.

XCIX. Quintò, vitanda, quæ valdè refrigerant. Talia namque tunicas oculorum faciunt densiores, præsertim si etiam sint adstringentia, earumque poros occludunt & contrahunt, & διαφύσσω impediunt.

C. Hisce præsidys addenda est recta & conducibilis victus ratio.

CI. Itaque Aër eligatur purus, expers frigidorum ventorum, fumi, pulveris: obscurior etiam & tenebricosior. Externi enim luminis splendorem inflammati oculi ferre non possunt.

CII.

CII. Victus sit tenuis & parcus, primis praesertim diebus, donec fluxio consistat. Fugiantur etiam cibi praecalidi, salsi, acres, & flatulenti. Tales enim inflammationem irritant, fluxiones augent, & dolorem acerbiorum faciunt. Vitetur & vinum potens: ejus vero loco bibatur decoctum hordei, passularum, glycyrrhizae, violarum, & saeniculi.

CIII. Somnus utilis est, quia in illo oculi quiescunt, luminis externi splendorem non cernunt, dolor quoque sopitur.

CIV. Alvus quotidie laxa sit atque aperta. Si sit constipata, movenda clysteribus, suppositorijs, passulis, prunis, pomis dulcibus coctis, medicamentis lenitivis.

CV. Faceffant animi pathemata graviora, iracundia & excaecitas, quae inflammat, & humores exagitat, atque ad affluxum reddit paratiora.

CVI. Hec dicta sint de generali ophthalmia vera curatione. Praesidiorum propositorum materiam hac vice silentio involvere brevitatis studio placuit. Remittimus autem Medicae artis studiosos ad Practicos, qui eam, internam pariter atque externam, diexodice exposuerunt.

CVII. ὀφθαλμία illa spuria, τάρραξις, turbatio oculorum, curatur facile & celeriter. Oritur enim ut plurimum à causa aliqua externa, vento nimirum, pulvere, fumo, calore Solis, aut ignis, &c. Et levia habet accidentia, calorem, ruborem, paucasque lacrymas. Ideoque vitatis istis causis, & applicitis topicis refrigerantibus & reperioculentibus, brevi solvitur. Quodsi vero metus sit, ne augeatur, & à causa aliqua interna, v.g. sanguinis copia, & vitiosis humoribus, augeatur, tunc vena sectio & purgatio praescribi poterit.

CVIII. Illa vero ὀφθαλμία, quae χήμωσις appellatur,



tur, & supra descripta est, longè est vehementior, diuturnior, & dolorosior. Itaque opus illi est ijs remedijs, quæ in vera ὀφθαλμία fuerunt enumerata: quæque tum ad causam illius, tum ad symptoma urgens, ipsum scilicet dolorem, est directæ.

COROLLARIA.

Quam ob causam major spirituum animalium copia ad oculum mittatur à cerebro, quam ad ullum aliud sensus organum? Causa est multiplex. I. quia actio oculorum, ipsa nimirum visio, est continua: non ita intermittit & cessat, ut actio reliquorum sensuum. Non enim semper audimus, neque semper olfacimus, neque semper gustamus, neque semper percipimus tactiles qualitates. At sine intermissione, quando somnus est peractus, videmus. Ad hanc autem præstandam actionem magna requiritur spirituum animalium copia, quoniam magna quoque dissipatur. II. quia oculi continuè moventur. Ad motum autem continuum musculis oculorum opus est spiritibus multis. III. quia oculi etiam distantissima vident objecta, quæ visio iterum magnam postulat spirituum copiam. IV. quia plurima sensilia, propria & communia, sentiunt: colores scilicet simplices, extremos & intermedios, nec non & mixtos, sive compositos, quorum infinita penè est varietas. V. quia oculi debent esse puri, clari, splendidi, & luminosi. Tales autem ut existerent, copiam spirituum exigebant, qui tales facere oculos solent. Unde & nervos opticos oculi habent longè majores, ampliores, & porosiores, quam sensoria cætera: quò magna spirituum copia ad illos pervenire queat.

D

II.

II.

Cui actioni ophthalmia magis obsit, visiva ne, an motiva? Utrique quidem nocet, eoque magis, quò major est & vehementior: & eò minùs, quò est remissior & minor. Videtur autem magis nocere visivæ, quàm motivæ actioni. Obscuriùs enim oculi vident in ophthalmia, interdum etiam corruptè, ob spiritus & humores vitiatos; moventur autem adhuc sursum, deorsum, & ad latera.

III.

Sitne ophthalmia morbus totius oculi, an solius membranae conjunctivæ? Galenus l. de diff. morb. c. 13. respondet, ophthalmiam per se & primò, sive originaliter, esse inflammationem membranæ conjunctivæ, per accidens autem, h. e. consecutivè, morbum esse totius oculi; quia inflammata conjunctiva, intemperies etiam reliquis oculi partibus communicatur; idque propterea, quia sunt contiguæ. Ideoque consensus fit ob vicinitatem.

VI.

An inflammatio tunicae adnatæ officere possit visui? Ad hoc quæsitum jam responsum est problemate secundo. Jam de modo, quomodo visus in ophthalmia lædatur, quæritur. Et respondetur, lædi per accidens. Etenim inflammata conjunctiva, fit dolor & calor magnus. Dolor autem & calor faciunt, ut humorum fiat affluxus ad oculum. Humores isti turbant oculi humores & spiritus. Hisce turbatis, visus necessariò offenditur.

V.

An omnes humores gignere queant ophthalmiam? De sanguine nullum est dubium, quin illam producat;

cat : de cæteris humoribus controvertitur. Sed respondetur, omnem veram ophthalmiam sobolem esse sanguinis per se : quia omnis ophthalmia est inflammatio. Omnis autem inflammatio à sanguine proficiscitur. Hoc enim rubor, & calor satis ostendunt. Reliqui autem humores ophthalmiam pariunt, ac non per se, sed per accidens solùm : quatenus scilicet sanguini sunt admisti, & dolorem excitant, vel gravando, vel distendendo, vel rodendo, quando acres sunt atque mordaces. Hanc autem illarum actionem consequitur dolor, qui affluxus humorum unà cum sanguine est ophthalmiæ causa.

VI.

AN in ophthalmia vera, & illa altera qua χήμωσις appellatur, & in qua εκτροπή, inversio palpebrarum accidit, quatuor genera morborum concurrant, intemperies calida & humida, vitium in figura, magnitudo p. n. aucta, & continui solutio? Maximè. Adest enim intemperies illa composita, calida nimirum & humida, quia inflammatio adest. Præsens est vitiosa figura, quoniam palpebræ sunt inversæ. Cernitur magnitudo aucta, quoniam tumor p. n. conspicitur. Observatur quoque continui solutio, ut ex θ. 30. liquet.

VII.

AN ὀφθαλμία sit contagiosa? Illa talis est, quæ malignitatis aliquid in se habet. Scribunt enim nonnulli, ophthalmiam aliquando pestem præcedere. Respondetur, causam esse, quoniam oculi sunt humidi, molles, ἐυπαθεῖς, h. e. facilè patibiles, & valdè mobiles: ideoque fit, ut μιάσματα ex oculis ophthal-

D 2

mia

976
 mia laborantium emanantia facile excipiantur ab
 intuentibus qui illis sunt vicini, teste *Aristotele sect.*
7. problem. 4. Cui suffragari videtur *Alexander Aphro-*
diseus lib. 1. problem. 33.

VIII.

Utrum flatus ὀφθαλμίας efficere valeant? Per se non.
 quia per se inflammare conjunctivam neque-
 unt: sed si hoc faciunt, tantum per accidens faciunt:
 quatenus alijs humoribus permisti distendendo, vel,
 si acres fuerint atque mordaces, erodendo dolorem
 excitant, qui postea causa est affluxus humorum, &
 præsertim sanguinis, in corporibus plethoricis. Quod
 ipsum etiam fumi, fuligines, halitusque externi effi-
 cere consueverunt.

IX.

An urgente in ophthalmia dolore pro anodyno topico
 lac commodè & utiliter applicari queat? Omnino:
 quia anodynum est, & acrimoniam impactorum
 humorum demulcet, lenit, ac mitigat. Verum, re-
 centissimum esse debet, sæpiusque novum adhiberi:
 quoniam progressu temporis ob partis affectæ calo-
 rem acescit, suoque acore oculos pungit, mordet,
 doloremque auget.

X.

Quorum remediorum in ophthalmia potior habenda
 ratio, topicorumne, an vacuantium, revellentium, &
 derivantium? Omnia quidem necessaria sunt: sed
 potior habenda ratio est posteriorum trium. Expe-
 rientia enim testatum fecit, ophthalmiam sæpè per
 illa sola fuisse persanatum, aut saltem multò tolera-
 biliorem factam: per topica autem multa, & sine
 inter-

intermissione oculis applicita, cæcitatem tandem, visusve caliginem & hebetudinem introductam esse.

XI.

Quæ causa, quòd oculi, non perinde ut aures & narium alæ, sive pinna, brumæ tempore frigeant? Videntur causæ esse quatuor. I. quia oculi sunt in perpetuo motu. Motum autem calorem excitare, notorium est. Aures in plerisque quiescunt, utpote musculis destitutæ. Alæ narium moventur leviter, musculosque habent tenues admodum, & ferè membranofos. II. quoniam oculis multa est pinguedo circumfusa. Additi etiam illis sunt musculi sex: oculos attollentes, deprimentes, ad latera moventes, & circumagentes: quæ partes calidi sunt temperamenti. Aures autem & pinnæ narium pinguedine carent. Musculi verò earum, cum membranofos sint, parum caloris illis impertire possunt. III. quia oculi duabus velantur palpebris. At ejusmodi tegumenta in auribus & pinnis narium desiderantur. IV. quia oculi in antris, orbitis nimirum suis, sunt repositi. Aures & pinnæ nasi totæ externo obviæ sunt frigori: ac propterea magis ab illo offenduntur, quàm oculi.

Ornatissimo
Domino Respondenti salut.

Sunt oculi teneri: sunt clari: sunt quoque sensus
Exacti: ex varijs conflati partibus: instar
Sunt nobis vigilum, in sublimi sede locati

D 3

Cor.

Corporis, ut videant, qua nobis noxia, vel qua
 Sint bona, quò liceat depellere protinùs illa,
 Hæc verò ambabus festinè amplectier ulnis.
 Specula sunt animi fulgentia: suntque fenestra,
 Per quas introitus patet in penetralia cordis:
 Cum varijs etiam est illis consensus membris:
 Ut valeat corpus demonstrant. Sed quoque morbis
 Pluribus expositi sunt, quàm reliqua omnia membra
 Corporis humani, multis quia partibus illi
 Constant, quas nobis pulchrè dissectio monstrat,
 Et quarum quævis patitur symptomata multa.
 Haud ergò immeritò Medicis custodia eorum
 Esse solet cura, quoniam miserabilis esse
 Conditio illorum suevit, qui lumina cassi
 In tenebris semper coguntur ducere vitam.
 Propterea Natura oculos munimine multo,
 Atque etiam valido circumdedit undique, nempè
 Ossibus omnigenis, cilijs, tunicisque duabus,
 Quæ claudunt oculos, illos iterùmque recludunt.
 Insuper hæc eadem rerum blandissima Mater
 In binis oculos solerter condidit antris,
 Ut tuti magis esse queant à lumine Solis,
 Casibus atque alijs permultis sortis iniquæ.
 Tanti igitur cùm sint momenti lumina nostra,
 Idcirco illorum morbi, structuraque, nec non
 Ipsa etiam methodus curandi cognita rectè
 Esse illis debet, qui discunt Pæonis artem.
 Hoc tu cùm facias, GEIDELIN, conanime magno,
 Egregium inde decus, nomenque perenne mereris.
 Quò verò hoc possis etiam præstare deinceps,
 Suppliciter venerare DEVM, qui munera cuncta

Suppe-

*Suppeditare solet vera pietate roganti,
Ut tibi concedat longeva tempora vita,
Præbeat ingenij vires, & conferat omne,
Quod prodest, & quod rerum quoque postulat usus.*

Melchior Sebizius, D.

Pereximio & Præstantissimo Dn. Respon-
denti, in Theoria Medicâ & Botanicâ hætenus
industrio, nunc de Ὀφθαλμία Solenniter
Disputanti,

S. P. P.

PRæfixam cupiens certò contingere metam,
Adspiciat, fixos vertat is hûc oculos;
Ophthalmia nec impediât, nec claudat eosdem,
Sic recta currit tramite, & assequitur.
Sic studio quoque certa tuo proposita meta,
Quam fixis oculis adspicis, haud negligens:
Solennus quam mox scandes probat idque *cathedra*,
Hûc ducente manu TE, VENERANDE SENEX!
Ophthalmia Tibi curæ, quâ ostendis *Amice*,
Non somno clausos Te tenuisse oculos;
Hætenus ast vigili curâ noctesque diesque
Doctorum libros pervolitâsse tuâ.
Quod faciunt alij, cum congratantur, amici,
Exhibet hoc itidem pignus amicitia.

SUO,

*Quem dudum inter amicos
numeravit, GEIDELINO,*

Mens Manusque

JOH. JACOBI BOELERI
Argent, SS, Th, Stud.


F I N I S.



180.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





01 A 6551


ULB Halle 3
002 937 832




f
sb

WDM





pro
num
dos
eme
cul
m
a re
G A
foe
EN
cul
M E
nte
ffen
egii
is o
li ra
esse.
im
im
enfa
eci
cep
ex
ci a
est
nm
err
ran
e.



13

72

DISPUTATIO SOLENNIS
MEDICA,
De
OPHTHALMIA,

*In inclyta Argentoratensium Universitate
proposita*

A
MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE, ET PRO-
fessore, Comite Palatino Cæsareo, Reipubl.
Archiatro, & Capituli Thomani
Præposito:

RESPONDENTE
SAMUELE GEIDELIN,
Argentoratensi.

Ad Diem 19 Mensis Junij.



ARGENTORATI
Typis EBERHARDI WELPERI.
ANNO M. DC. LXII.

